

Tabula unam eamque omnium primam membranam. Marginem ab initio picturae vides satis latum, cui agglutinatum olim fuit alia eaque prima membrana; in fine Tabulae similis aspectus non adest, finit pictura cum ipsa pelle, ut aliis agglutinati folii spatium plane denegetur. Huic primo folio, quo pro dolore caremus, insertae erant Britanniae, Hispaniae, Mauritaniae delineationes. Si in rem manifesta dubitandi locus esset, haesitantem initium primi quod habemus folii adire juberem, ut literis quadratis inscriptam posteriorem partem nominis ITANIAM legeret, cujus pars prior AQV deest, inscripta scilicet primae nobis deperditae membranae: AQVITANIA enim legendum esse propter expositionem provinciae ejusque urbium obvium est. Idem et in Britannia deprehendis cujus particulam tantum ostendit Tabula. Praeterire si voluissest auctor hujus magnae regionis expositionem, tacuisset simul de parcellis nobis exhibitis. Dubio igitur caret, primam nostrae Tabulae deesse membranam, eamque ut et illam Monachi Colmariensis, duodecim olim constitisse membranis.

Ne autem, lector Benevole, incertus haereas, cum de *undecim* membranis nos pronuntiantes legis, in nostra editione *duodecim* folia ad manus habens, monendum, Scheybium undecim illas membranas in duodecim distinxisse sectiones, ne in nimiam latitudinem excrescerent folia chartae impressa.

Sectio IV.

Monachus seculi XIII. transcriptor fuit Tabulae, nec vero ejus auctor aestimandus.

Opus tam insigne, Orbem Romanum non tantum, sed omnem veteribus cognitum Terrae Orbem complectens non nisi medii aevi partus aestimetur? Omnis nostra fiducia genuinae antiquitati innixa recidat incassum? Boni dii averruncent nefasta verba! Antiquum manibus terimus Orbem Pictum, qualis in Imp. Alexandri Severi usum olim est emendatus. Non auctor, sed exscriptor fuit monachus Mappae antiquae, magna sui parte injuria temporum jam lectu difficilioris. Quum vel librorum compactorum ex tanto annorum intervallo vix ac ne vix quidem ullus ad nostra secula salvis pervernerit, quid existimandum de volumine duodecim membranorum, evolvendo ipso in dies deteriore facto? Literae subinde usu obscuriores redditae paullatim evanescunt, deperiturae cum ipso opere nisi subveniatur. Ea est causa cur transcriptori tantas debeamus gratias, cujus archetypon mille annis gravatum ulterius conservari non poterat. Renovavit igitur opus, invita quidem Minerva, praecepsitato labore, ipse parum instructus vel antiquitatis vel geographiae cognitione, conservavit tamen; nec omnia scripturae inhaerentia vitia ejus inscitiae et negligentiae assignanda sunt, plurimam partem difficultati potius e vetusta membrana enatae adscribamus.

Exscriptorem vetustae delineationis esse monachum, id non solum e pauculis illis, ubi et suae eruditionis specimina edere voluit, sed e quoconque non dicam folio, verum e cuiusvis serie itineris facilli-